Audite hec omnes gentes; Christi uox est uel apostolorum; intellegite scilicet misteria
uel precepta que dicturus sum; et reddit attendendos auditores suos.
Et notandum quod dicit audite omnes gentes; In ueteri quippe testa-
mento solis iudeis dabantur precepta. ipsi soli inuitabantur ad pre-
mia; ecce nunc iam postquam Christus in mundum uenit omnes gentes et naciones tam
iudei quam gentiles inuitantur ad penitenciam uocantur ad uitam; Auribus
percipite. id est mente intelligite; neque enim sufficit audisse hec aure corporis. nisi et
audita ea percipias mentis; eis uidelicet auribus quas dominus in euangelio requirit
inquiens qui habet aures audiendi audiat. Omnes qui habitatis orbem; per habita-
bi dan
ntes orbem fideles accipiuntur qui sic orbem inhabitant. ut se eum per mortem
corporis secto corporis derelictos sciant; et gentes itaque omnes gentes superius
premissas pagani et adhuc erroribus dedita intelleguntur; primum itaque omnes gen-
tes. ac deinde omnes orbem inhabitantes ad audiendum conuocans insinuat se cunctis
ut diximus hominibus tam iustis scilicet quam peccatoribus uite precepta dare;
unde et subdidit; Quique terrigine et filii hominum; nam quos gentium uoca-
bulo presignauit. eos nunc terrigenas dicit terra scilicet genitos. et quos orbem
inabitantes eos uocat et filios hominum fideles scilicet racionabili discretione malum
declinantes et bonum appetentes. ac uere in Christum credentes quia se in euangelio sepis-
sime filium hominis maluit appellare. Uocantur itaque omnes indiscrete ad fidem.
mali cum bonis. et dicitur agnis reprobi cum electis; In unum et iam diues et pauper; diues
scilicet et potens et copiosus aliquis. et pauperem; temporali uel diuitem appellat
iudaicum populum presumentem et extollentem. ex spiritalibus diuiciis scri-
pturarum. et pauperem populum gentilem humilem et absque diuiciis super-
bie ad Christum uenientem. Os meum loquetur sapienciam; uox apostolorum. uel predi-
catorum Christi in quo est sapiencia dei patris; Et meditacio cordis mei pruden[ciam]
loquetur. id est meditabor et medita[t]a loquar; in intimo quippe cordis
meditamur ea que postea proferimus nec re[cte] fari sane scire loquaris nisi corde